



Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus. IV. An positis omnibus requisitis ad agendum voluntas debeat in
sensu composito posse agere, vel non agere, ut sit formaliter libera?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

quæ licet attingat omnia fortiter, simul tamen disponit omnia suaviter.

13. *Adhuc instabis.* Calvinus cum suis non negat cognitionem indifferentem, quam docet experientia, & tamen ex prædeterminatione infert, auferri potentiam ad utrumlibet.

Resp. Quid tum? In hoc ipso peccavit non tantum malus Theologus sed etiam Philosophus, quod ex motione causæ primæ, relinquente indifferentiam cognitionis, intulerit jacturam libertatis & indifferentiæ in voluntate. Exprobrabit Thomista Calvino, urgenti necessitatem, illud D. Hieronymi in ep. ad Cresiphont. contra Pelag. Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad DEUM semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate? &c. Et l. 3. adv. Pelagium: Egone liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam DEI cum libero arbitrio conservarem?

14. *Obijcies tertio.* Prædeterminatio tollit indifferentiam voluntatis, quia determinat ad unum: ergo tollit libertatem.

Respond. Prædeterminatio tollit indifferentiam voluntatis potentialem & privativam tantum, concedo: actuale & negativam, nego. Rursus: determinat ad unum cum directione cognitionis indifferentis, concedo: per modum naturæ & sine tali directione, nego.

Inquis: Illa determinatio tollit indifferentiam actualem, quæ adimit potentiam oppositi; sed prædeterminatio illam adimit: ergo.

Resp. quæ adimit potentiam oppositi in sensu tam composito quam diviso, concedo: quæ tan-

tum in sensu composito tollit potentiam oppositi, nego.

Instabis. Voluntas prædeterminata ad unum sensum nec in sensu composito nec diviso potest ponere dissensum; ergo nullam prorsus habet potentiam ad dissensum, & consequenter non est libera. Antec. prob. Ponere dissensum in sensu diviso prædeterminationis est illum ponere non coexistentem prædeterminationi, sed tamen dissensum voluntas ponere non potest: ergo Minor prob. In ejus potestate non est ponere unum extremum, in ejus potestate etiam non est alterum extremum cum ejus existentia componere vel non componere: Sicuti, quia existentia Petri non est in potestate Solis, ideo non est etiam in potestate Solis, ponere lucem coexistentem vel non coexistentem Petro: sed non est in potestate voluntatis ponere prædeterminationis existentiam; ergo etiam non est in ejus potestate cum illa dissensum componere vel non componere: sive ponere dissensum ut coexistentem, vel non coexistentem.

Resp. neg. antec. & minor. probationis, utrimque probationem distinguo. In cujus potestate non est ponere unum extremum &c. nisi illud extremum causet ipsam potestatem & indifferentiam, transeat: si causet, nego, & pariter distincta min. nego consequ. Nec instantia de Petro quicquam probat; nam Petrus non est essentialis causa lucis ponendæ, uti è contra prædeterminatio est essentialis causa electionis à voluntate liberè ponendæ.

Sed quia de potentia dissentendi in sensu composito hoc loco specialis est difficultatis, ideo sit

ARTICULUS IV.

An positis omnibus requisitis ad agendum voluntas debeat in sensu composito posse agere, vel non agere, ut sit formaliter libera?

SUMMARI A.

1. *Alia prærequisita ex parte actus primi, alia ex parte actus secundi.*
2. *Genuina explicatio sensus compositi & divisi.*
3. *Negatio sensus compositi non tollit similitudinem potentia, sed potentiam simultatis.*
4. *Negativa assertio probatur duplici ratione.*
5. *Et multiplicibus exemplis.*
6. *De ratione libertatis est, cum omnibus requisitis ad operandum posse non operari in sensu diviso.*
7. *Adversarii fallaciter argumentantur à sensu composito ad divinum.*
8. *Exponitur mens Concilij Tridentini.*
9. *Voluntas premota ad amorem est æquè potens ad odium, quàm ad amorem.*
10. *Prædeterminatio remouetur ab actu primo.*
11. *Agere & non agere sumitur equaliter in definitione libertatis potentialis, non actualis.*
12. *Quandonam posito possibili in actu nullum sequatur inconveniens.*
13. *Mala acceptio sensus compositi destruitur.*

§. I.

Expositio sensus compositi & divisi.

EX prærequisitis ad agendum alia sunt, quæ pertinent ad actum primum, seu ad posse agere, alia ad actum secundum, seu ad ipsummet agere. Ad actum primum liberi arbitrii præter ipsam potentiam voluntatis, pertinet differens propositio objecti viresque sufficientes, quas in ordine supernaturali ad actus bonos DEUS per auxilium sufficiens, quod à D. Augustino vocatur *auxilium sine quo non*, suppeditat. Ad actum secundum pertinet tum ipsa intrinseca liberi arbitrii determinatio, tum ipsa Thomistarum doctrina] decreta prædeterminationis de quibus alio loco dictum, & prædeterminatio physica, de qua modo egimus.

Porrò ante resolutionem questionis ante omnia sciendum, quid sensus compositi & divisi nomine Thomistæ intelligant? Itaque eorum posse distinguunt per sentum compositum & divinum, e.g. homo sedens potest ambulare in sensu

viso, non autem in sensu composito, nequaquam hoc volunt (ut male ipsis quandoque imponitur) quod homo habeat potentiam ad ambulandum sessione ablata, hæc autem posita non habeat hanc potentiam; cum dicunt: Prædestinatus in sensu diviso potest damnari, non autem in sensu composito, non est sensus, quasi ablata primùm prædeterminatione homo habeat potentiam perseverandi in peccatis, sicque incidendi in damnationem æternam, non autem, quamdiu prædeterminatio est cum ipso conjuncta. Pariter, cum dicunt: Homo prædeterminatus ad consensum potest dissentire in sensu diviso, non in sensu composito; non hæc mens est, quod absente prædeterminatione habeat potentiam dissentendi, non autem hæc prædicte: hunc, inquam, istius distinctionis sensum, crei sanæ & catholicæ defensionis libertatis minis contentaneum, Thomistæ refugunt. Genuinus autem & verissimus ipsius sensus est: quod homo scilicet etiam posita sessione retineat quidem potentiam ad absolute non sedendum, ita tamen ut posita seu supposita sessione, non possit simul cum ipso componere actum ambulandi: sic enim posset simul sedere & non sedere, quod manifestè implicat. Ita in reliquis exemplis, dum dicunt: Prædestinatus potest in peccatis perseverare in sensu diviso, mens est: Prædestinatus unâ cum prædeterminatione habet potentiam ut perseveret in peccatis; non tamen est possibile, ut perseverantia in peccatis, seu finalis impenitentia conjungatur cum prædeterminatione: sic enim esset, & non esset prædestinatus. Item dicendo: Prædeterminatus ad agendum, potest non agere in sensu diviso, sensus est: Prædeterminatus ad actum habet veram potentiam, ut absolute non agat, aut ut agat oppositum: non tamen possibile est, ut negatio actus conjungatur cum prædeterminatione; quia, cum prædeterminatio sit efficax DEI motio in uno eoque reali instanti existens, quod actus existit, jam esset, & non esset efficax, voluntas quoque simul ageret & non ageret, quod implicat.

Itaque distinctio & negatio sensus compositi non afficit ipsam potentiam sed terminum potentie, h. e. actum, ejusque oppositum; neque negat simultatem potentie cum prædeterminatione, sed potentiam similitatis & compositionis inter negationem actus & prædeterminationem ad actum oppositum. His ita positis

§. II.

Resolutio negativa.

CONCLUSIO. Non est de ratione libertatis, ut voluntas cum omnibus requisitis ad operandum possit componere actum oppositum, vel negationem actus. Ita Alvar. l. 12. de aux. D. 115. cum alijs Thomistis. Probatur primo. Etsi voluntas non possit componere oppositum actus cum omnibus prærequisitis ad agendum, adhuc salvatur tota ratio libertatis: ergo illa potentia componendi non est de ratione libertatis. Antec. probatur. Quamdiu actus procedit à principio indifferente, tamdiu salvatur libertas ipsius; sed etiam si voluntas non possit componere oppositum cum omnibus prærequisitis ad agendum, adhuc actus procedit à principio indifferenti ad utrumlibet: quia tamdiu voluntas est formalis

ter indifferens ad utrumlibet, quamdiu operatur ex prævio indifferenti dictamine intellectus, in quo libertas formalis essentialiter radicatur: sed operatur ex prævio indifferenti dictamine, ut supponitur: ergo.

Secundo. Impossibile est, ut cum omnibus prærequisitis ad actum liberum ex parte actus secundi, voluntas componat oppositum; ergo hoc non est de ratione libertatis. Antec. prob. Si voluntas cum omnibus prærequisitis ad amorem v. g. posset componere negationem amoris, tunc posset simul esse & non esse actuale principium amoris: sed hoc implicat: ergo; Sequela probatur. Prærequisita ex parte actus secundi constituunt voluntatem in ratione principij actualis ipsius amoris: sed si hæc in sensu composito posset non amare, jam non esset principium actuale: ergo posset simul esse & non esse principium actuale.

Probatur tertio exemplis. & primò. Inter prærequisita ad liberè operandum est ultimum judicium practicum intellectus; neque enim voluntas fertur in incognitum, sed priusquam eligat, præsupponit consilium & ultimam sententiam de agendis: sed cum ultimo judicio practico imperante actum voluntas non potest componere negationem actus; sic enim operaretur voluntas absque prævio ductu rationis, quod implicat.

Secundo. DEUS liberrimè creavit mundum, nec tamen poterat cum omnibus prærequisitis ad liberam creationem componere non creationem mundi: ergo hæc potestas componendi non est de ratione libertatis. Alterum membrum antecedentis probatur: Inter prærequisita ad liberam creationem mundi est voluntas creandi mundum, quia *quæcumque voluit, fecit*: sed erat impossibile DEO cum voluntate creandi componere non creationem mundi, ergo.

Tertio. Unum ex necessariis prærequisitis ad liberè operandum, est efficax prædeterminatio & prædeterminatio: sed cum hæc non potest stare oppositum operationis: ergo non est necessarium, ut cum omnibus prærequisitis ad operandum voluntas possit oppositum ponere in sensu composito. Majorem quoad 1. partem in Tract. de DEO, quoad alteram partem in cap. præfenti probavimus. Minor exinde probatur, quod si cum prædeterminatione & prædeterminatione ad actum, posset componi oppositum, jam DEI voluntas non esset omnipotens & infinite efficax, cum videlicet intentio voluntatis divinæ, in ista motione contenta, per creatam hominis voluntatem impediri posset, quemadmodum advertit D. August. in *Enchirid.* c. 95. dicens: *DEUS noster in celo & in terrâ, omnia quæcumque voluit, fecit; quod nique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit: & (quod est indignius) ideo non fecit, quia, ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Nec minùs *S. D. 2. 2. q. 112.* *Preparatio secundum quod est à DEO movente, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à DEO, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia inrensus DEI deficere non potest.*

Quarid. Inter prærequisita ad actum liberum supernaturalem, v. g. charitatis, est efficax gratia & motus Spiritus sancti; sed cum ista motione voluntas non potest componere oppositum: ergo. Major est de fide. Minor est D. Thomæ in cit. 2. 2. q. 24. a. 11. in c. dicentis: *Impossibile est, hac duo simul, esse vera, quod Spiritus S. velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando.*

Est nihilominus de ratione libertatis, ut cum omnibus requisitis ad operandum voluntas possit non operari in sensu diviso: alias quippe voluntas nullam haberet indifferentiam. & actum produceret modo solum spontaneo, non etiam libero, cum sublata facultate ad utrumlibet pereat definitio & essentia libertatis. Atqui consequens est à fide Catholica alienum: ergo. Neque hanc facultatem auferit nostra prædeterminatio; nam, ut supra ex D. Prosp. advertimus, *DEUS ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut perseveraretur illam mutabilitatem, quæ possunt velle, non auferat.* Divina quippe motio, seu primæ causæ influxus ipsam humani arbitrii libertatem reducit in actum, unde quemadmodum illa determinatio, quæ semetipsam voluntas creata ad operandum determinat, non destruit potentiam in oppositum, sed causat, ut actus in alterutrum ex oppositis liberè tendat; ita hoc ipsum causat & præstat prædeterminatio, quæ sibi humanam determinationem subordinat.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objectiones primò. Resistere, dissentire divinæ motioni, est componere resistantiam & dissonum cum divina motione: sed homo, postis omnibus requisitis ad agendum, ipsaque divinæ motione, potest resistere motioni, & gratiæ pervenienti: ergo potest componere cum illa resistantiam ac dissonum. Major probatur primò: assentiri & cooperari gratiæ dicit sensum compositum, ac rursus posse assentiri & cooperari gratiæ verificatur tam in sensu composito quam diviso: ergo etiam resistere, dissentire, ac posse resistere verificatur in sensu composito.

Secundò: quia ridiculum esset dicere, exercitum Cæsaris posse resistere exercitui Turcico in sensu diviso ipsius, h. e. ex suppositione, quod Turcicus exercitus non existat: posse hominem resistere tentationi, ex suppositione, quod tentatio non existat; posse abjicere pecunias, ex suppositione, quod illæ non adint &c. Minor patet ex Tridentino, ubi sess. 6. can. 4. damnatur hæc propositio tanquam hæretica: *Liberum arbitrium DEO excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit.* Etc. 5. dicitur: quod homo, Spiritus S. inspirationem recipiens, possit illam abjicere.

Responderi potest primò, negando consequentiam: nam fallaciter ab actu secundo & sensu composito, qui sumitur in majori, proceditur ad sensum divinum & actum primum, qui significatur in minori. Veluti si sic inferres: præ-

destinatum damnari est damnationem componi cum prædeterminatione: sed prædeterminatio potest damnari: ergo potest prædeterminatio cum damnatione componi &c. quæ consequentia est vitiosa.

Respond. secundò. Negando Majorem, si sermo sit de motione efficaci. Et ad primam probationem disparitas est, quod motio, hæc ipso quod sit efficax, est infallibilis causa cooperationis & consensus, simul in eodem reall temporis instanti coexistentis: unde mirum non est, quod cooperari & consentire verificatur in sensu composito. Econtrà verò illa motio non est actualis causa dissensus: imò cum sit actualis causa liberi assensus, eo ipso etiam causa, quod dissensus assensui repugnans, pro illo instanti liberè non eliciatur.

Ad duas primas instantias in secunda probatione adductas, *Respond.* posse resistere illi non verificari in sensu composito exercitibus Turcici, & tentationis efficaciter sed solum inefficaciter coexistentis, alias quippe essent & inefficaciter efficaces, si simul cum ipsis resistantia componi posset. Ad tertiam instantiam *Respond.* Me non posse abjicere pecunias, quas actu habeo, nisi in sensu diviso, siquidem repugnans pro eodem instanti simul abjicere & retinere potestas.

Porro Concilii Tridentini principale intentum fuit, libertatis cum gratia efficaci concordantiam ac coexistentiam asserere, quæ per hoc optime salvatur, quod gratiæ & præmotionis divinæ efficaciam potentiam dissentendi in sensu diviso in libero arbitrio relinquit, *Inhabilis.* Frustranea est potentia, quæ non redigitur in actum: sed pro eo instanti, pro quo voluntas efficaciter præmota, potentia resistendi non potest redigi in actum: ergo est frustranea & nulla. *Respond.* Quæ non redigitur in aliquem actum, concedo: quæ non redigitur in omnem actum, nego; alias quippe potentia creandi alium mundum etiam foret frustranea in DEO.

Objectiones secundò. Si voluntas cum omnibus requisitis v. g. ad amorem, non posset simul ponere odium, vel omissionem amoris, sequeretur, quod voluntas non esset æquè potens ad odium vel omissionem amoris, quam ad amorem: sed consequens præjudicat libertati: ergo & antecedens. Sequela probatur: Voluntas non habens omnia requisita ad actum, non est æquè potens, quam habens omnia requisita ad actum: sed in factâ hypothesi voluntas haberet omnia requisita ad amorem, non autem ad odium vel omissionem amoris: ergo. Minor quod secundum membrum probatur: Voluntas, præmota ad amorem, non habet præmotionem ad odium, multo minus carentiam præmotionis ad amorem: sed inter requisita ad odium est præmotio; inter requisita ad omissionem amoris, est absentia præmotionis ad amorem oppositum: ergo voluntas præmota non habet omnia requisita ad odium, vel omissionem amoris.

Respond. Negando sequel. ejusque probationem distinguo. Voluntas non habens omnia requisita se tenentia ex parte actus primi, non est

æque potens; concedo: voluntas non habens omnia requisita se tenentia ex parte actus secundum, nego: sed voluntas præmotà ad amorem; non habet omnia requisita ad odium &c. se tenentia ex parte actus secundum ipsius odii, concedo. Ex parte actus primi, nego min. & concedo. Nam præmorio, seu applicatio & actualis reditio potentia in actum secundum, non se tenet ex parte posse & actus primi sed ex parte ipsius actus secundum, quemadmodum & apud Advers. actualis determinatio, quæ voluntas se determinat ad operandum, est prærequisitum ex parte actus secundum, non primi. Sed instans &

Obijciens tertio. Prædeterminatio tenet se ex parte actus primi: ergo tollit potentiam in oppositum. Antecedens prob. primo: quicquid antecedit actum secundum, pertinet ad actum primum, quia inter actum primum & secundum non datur medium: atqui prædeterminatio antecedit actum primum, ergo. Secundo: Complementum & applicatio principii operativi pertinet ad actum primum; sed prædeterminatio est complementum & applicatio principii operativi: ergo, Major patet in applicatione ignis ad lignum, quæ pertinet ad actum primum. Tertio: sine quo potentia non potest operari, illud pertinet ad actum primum, seu ad ipsum posse: sed absque determinatione voluntas non potest operari: ergo pertinet ad actum primum, seu ad ipsum posse.

Respond. Negando Antec. ad cuius primam probationem distinguo Antec. quicquid antecedit actum secundum prioritate temporis, & per modum virtutis operativæ, concedo: prioritate naturæ, & tantum per modum exercitii causalis, nego. Rursum: non datur medium inter actum primum, & secundum tam causalem quam formalem, concedo: actum secundum formalem tantum, nego. Inter hunc enim & actum primum mediatur actus secundus causalis, antecedens prioritate naturæ, non temporis. Ad 2. prob. dist. major. Complementum principii operativi in esse principii habitualis se tenet ex parte actus primi, concedo: complementum ipsius, vel potius constitutum causale, in esse principii actualis, nego maj. & sub datâ distinct. nego consequentiam. Iterum: applicatio ad operandum, quæ non est ipsum exercitium operandi saltem causale, pertinet ad actum primum, concedo: secus, nego. Ad 3. probat. Absolutè nego min. Si dicam: Nulla causa potest procedere in suum actum, nisi moveatur à DEO. (S. D. r. p. q. 109. a. 1.) ergo sine prædeterminatione non potest operari. Respond. Ex eodem S. D. q. 1. de pot. a. 5. ad 1. Illam propositionem esse veram, si particula exceptiva nisi referatur ad actum secundum, ut faciat hunc sensum: fieri non potest, ut aliqua causa operetur, nisi fuerit præfinita, & prædeterminata ad operandum; & tunc negatur consequentia: non autem esse veram, si referatur ad actum primum & ipsum posse, faciatque hunc sensum: Nulla causa habet potentiam producendi actum, nisi sit prædeterminata: plurimum enim effectuum potentiam habet cau-

sa creata, quam ad quos actu ponendos est prædeterminata à DEO.

Obijciens quarto. Cùm libertas definitur ita. Quòd sit facultas, quæ positis omnibus requisitis ad agendum voluntas potest agere vel non agere; utrumque membrum, agere & non agere, æqualiter sumitur: ergo sicuti positis omnibus requisitis ad agendum voluntas potest agere in sensu composito, ita etiam poterit non agere in sensu composito.

Confirm. primo. Posito possibili in actu nullum sequitur inconveniens: sed positis omnibus requisitis ad agendum, possibile est voluntatem non operari, aliàs in voluntate non remanebit potentia ad non operandum; cùm impossibile non detur potentia: ergo posito, quòd voluntas positis omnibus requisitis non operetur, nullum sequeretur inconveniens.

Confirmatur secundo. Illud potest voluntas, ad quod tenetur, sed aliquando, positis omnibus requisitis ad agendum, tenetur non agere: ergo etiam positis omnibus requisitis ad agendum potest non agere. Minor probatur: quoties quis peccat peccato commissionis, toties pro eo instanti, quo habet omnia requisita ad actum peccati, tenetur omittere actum peccati; aliàs quippe pro illo instanti non peccaret: ergo etiam pro illo instanti potest actum omittere.

Respond. Distinguendo antecedens: in definitione libertatis potentialis & privative ly agere & non agere ita æqualiter sumitur, ut voluntas positis omnibus requisitis utrumque æqualiter possit in sensu composito, concedo: in definitione libertatis actualis, & positis omnibus requisitis ex parte actus secundum, nego. Tunc enim quia potentia jam supponitur actu agere, necessariò excluditur sensus compositus non agendi.

Ad 1. confirm. Respond. Posito possibili in actu, quæ ratione est possibile, nullum sequi inconveniens; non autem si ponatur in actu, quæ ratione non est possibile. Positis igitur omnibus requisitis ad agendum, possibile est voluntatem non operari in sensu diviso, sive absolute, potentia antecedente, & nullius rei incompossibilis factâ hypothesi, concedo: in sensu composito, sive potentia consequente, & factâ hypothesi actus secundum, nego. Jam enim sequeretur magnum inconveniens, quòd voluntas simul ageret & non ageret. Impossibile non dari potentiam verum est, si sint absolute impossibilia, non autem, si tantum impossibilia ex suppositione, ut patet è pluribus exemplis: ita enim datur in DEO potentia creandi alios mundos: nec tamen supposito decreto de non creando altero mundo, est possibile alium creari &c.

Ad 2. confirm. Respond. primo. Hoc argumentum nimium probare contra ipsos Adversarios, quòd nimirum etiam posito actu & concursu simultaneo, homo possit ponere actum contrarium, vel omissionem actus, siquidem pro illo instanti tenetur non peccare.

Respond. secundo. Illud quis potest ad quod tenetur, potentia antecedente, vel consequente, concedo: utraq; semper, nego. Ergo pro

pro illo instanti, quo peccat, & habet omnia requisita ad operandum, potest non operari potentia antecedente, h. e. absolutâ & præcendente ab hypothese impossibili, concedo: consequente & involuente talem hypothesein, nego consequentiam.

13. *Obijcies quintò.* Ideo voluntas prædeterminata ad amandum posset non amare in sensu diviso, quia si præmotio auferatur, vel ponatur opposita, potest actum oppositum, vel negationem amoris ponere: atqui hoc non sufficit ad salvandam libertatem & potentiam proximam in oppositum: nam causa quoque necessaria, v. g. ignis potest non comburere, si quod est prærequisitum ad agendum ab ipso removeas. Hâc etiam ratione Beatus ad DEUM odio habendum, damnatus ad amandum, haberent potentiam proximam; quia ille in sensu diviso visionis posset odio habere, iste autem in sensu diviso, h. e. remoto statu damnationis, posset DEUM amare.

Resp. negando majorem: quæ procedit ex modo intellectû sensûs compositi & divisi. Ratio igitur est; quia positus omnibus requisitis ad agendum, ipsaque prædeterminatione, voluntas regulata per indifferentem cognitionem habet verissimam potentiam ad oppositum: ita scilicet ut vi indifferentis istius propositionis æquè posset in oppositum tendere, nisi supponeretur jam in actu secundo opposito [quæ suppositio conditionalem necessitatem inducit] per divinam motionem causaliter, per propriam quoque determinationem formaliter constituta: qualem indifferentem propositionem nec in igne, allata causâ naturaliter agente, nec in Beatis, aut damnatis reperies. Solet etiam obijci, quod ex prædeterminatione sequatur, DEUM fieri auctorem peccati, quam tamen sequelam in dispositionem de peccato, ibi commodius refutandam, remittimus.

DISPUTATIO VII.

DE

Involuntario ad. q. 6.

Involuntarium in præsentî accipimus non negativè, pro non voluntario, sed positivè, & contrariè, ejusque causas discutimus; quarum 4. communiter enumerantur, juxta 4. modos, quibus voluntas vel ex parte sui, vel ex parte cognitionis à motu voluntario impediri potest. Nam cognitio requisita impeditur vel ignorantia, vel passione concupiscentiæ; influxus verò voluntatis impeditur potest, vel metu, vel violentia. Unde 4. sunt causæ involuntarij, violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia.

ARTICULUS I.

An & quomodo violentia causet Involuntarium.

SUMMARIUM.

1. Violenti expositio.
2. Involuntarium aliud simpliciter, aliud secundum quid.
3. Actui imperati patiuntur violentiam.
4. Non actus elicitus.
5. Neque cessatio ab illis.
6. Potest odium proprij esse fieri voluntarium.
7. Stante indifferenti propositione objecti non potest voluntas necessitari ad actum.
8. Subtractio divini concursus ad comburendum igni Babylonico non fuit violentum.
9. Actus imperati & coacti quomodo sint à principio intrinseco?
10. Violentia simpliciter causat involuntarium.
11. Qua coactio fuit, neque ad meritum, neque ad demeritum valent.
12. Baptismus adulti collatus per violentiam est invalidus.
13. Vis illata non est moraliter violentia, si in resistendo non adhibeas debitam diligentiam.
14. Regula ad dignoscendum, quanta sit adhibenda resistentia?

§. I.

In actibus elicitis voluntatis nihil potest violentia.

- **V**olentium dicunt Philosophi esse ab extrinse-

co, passo veniente. Unde distinguitur violentum à necessario, coacto, & involuntario. À necessario; quia hoc reperitur in quolibet actu determinato ad unum, licet ille sit à principio intrinseco, & quàm maximè voluntarius; veluti de amore beatifico dictum est. A coacto; quia licet istud semper sit conjunctum cum violentia, tamen propriè dicitur tantum de cognoscentibus, ideoque minus latè patet, quàm violentum, quod etiam dicitur de non cognoscentibus. Ab involuntario; quia istud etiam ex ignorantia causari potest, ideoque latius patet, quàm violentum. Cæterum violentia vel est simpliciter talis, vel tantum secundum quid. Simpliciter talis est, si provenit ab agente extrinseco, passivo viribus resistentem. Violentia secundum quid talis, cum equidem provenit ab agente extrinseco, passivo tamen non omnem possibilem ac debitam resistentiam adhibente, adeoque vel formaliter, vel virtualiter cooperante.

Rursus Involuntarium aliquando est simpliciter tale, cum nempe, consideratis omnibus circumstantiis, voluntas aliquid absolute respuit; secundum quid tale est, quando illud voluntas in his circumstantiis absolute quidem vult, conditionatè tamen, & si tales circumstantiæ abessent, illud non veller, veluti mercator ad servandum vitam